





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

DISPUTATIO PRIMA,

18 19

EX EPISTOLA  
PAULI AD CORINTHIOS

priore, generalem ejus οικονομίαν  
complectens;

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-

GIO, SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE ET

*in Academia VVitebergensi Professore, in*

*Collegio disputationum Theologicarum*

*privato defendet 29. Octobr.*

M. CHRISTOPHORUS ZECCHERUS

Norimbergensis.

*Sine ex Bibliotheca M. Johannis F. S. S.  
Liquanni, qui me sibi comparavit 9. 9. 17  
Anno 1680 Wernigerode. 17. Junij.*



VVITEBERGAE,

*Typis M. Georgij Mulleri,*

Anno clō 1697.





LAVDATISSIMÆ  
DILHERORVM NORIMBERGEN-  
SIUM FAMILIÆ;

*Nominatim verò*

*Pientissimis, prudentiâ caterarumq; virtutum  
laude ornatissimis viris:*

D. DAVIDI }  
D. IOHANNI } DILHERN;  
D. MARTINO }

PATRIS OPTIMI D. DAVIDIS DIL-  
HERN, Mecænatis, piæ memoriæ, OPTIMIS  
FILIIS, FRATRIBUS CONIUNCTIS-  
SIMIS: Dominis atq; Mecænatibus, tanquam  
parentibus in æviternum  
colendis

*Hasce propositiones Theologicas  
D. D. D.*


*Respondens,*



# GENERALIS OIKONOMIA

## EPISTOLÆ PRIORIS AD CO-

rinthios D. Pauli.

 Ommemorat Lucas in actorum Apostolicorum narratione cap. 18. Paulum Græciam peragrante primò Corinthum venisse, & prædicationem Evangelij de Christo Iesu ex mandato Dei specialiter, continuata per annum & sex menses, Ecclesiam florentissimam ibidem collegisse; De cujus laudibus quædam capite primo hujus Epistolæ extant, quod videlicet Corinthij divites facti sunt in Christo, in omni verbo & scientia, nullog bono spirituali destituantur. Sed astutia & malitia Satanæ factum, ut post Apostoli discessum celeberrima Corinthiorum Ecclesia varijs schismatum & opinionum divortijs turbaretur, & terribis scandalis deformaretur, ita quidem ut pariter hæresis & vitia in periculum venirent. Id postquam Apostolus per indicium domesticorum Chloës accepit, Epistolam hanc ad Corinthios scripsit, qua sollicitudinem & vigilantiam suam testatus, nascentibus malis remedium maturè adhibet, & partim torpentes ocio excitat, partim varijs modis luxuriantes graviter redarguit, & universos ad saniora consilia revocat. Est igitur hæc Epistola liber Reformationis, quo Ecclesia Corinthiaca erroribus & scandalis fædè deformata repurgatur, pristinoq; nitore restituitur, dum prævæ opiniones solidè ab Apostolo confutantur, quæstiones propositæ dissolvuntur, morum vitiosa gravitate gravi oratione redarguuntur, & vitia Ecclesiastica multiplici confusione laborans corrigitur. Ut autem plenius elucescat, quibus de rebus in Ecclesia Corinthiaca certa

Prima  
plantatio  
Ecclesie  
Corinthia

Hæc Epi-  
stola est  
Liber Re-  
formatio-  
nis Corin-  
thiaca.

Summa  
epistola.

tum & in quibus à proposito veritatis, honestatis & iustitiae scopo aberratum fuerit, secundum ordinem tractationis Paulinae praecipua capita persequemur, quae Ecclesiae Corinthiacae conditionem qualis tum fuerit oculis omnium subyicient.

- I.
- Defectus in Ecclesia Corinthiorum.** PRIMò enim quidam Corinthij schismata excitabant autoritate doctorum Ecclesiae abutentes: Alij enim & praesertim Iudaei Petri personam praeferebant Paulo & reliquis omnibus, propter Leviticarum ceremoniarum diligentiore observacionem: Alij contra Paulum praedicabant tanquam gentium doctorem & libertatis Christianae assertorem: A quibusdam Apollo propter eloquentiae dona caeteris omnibus anteponebatur. Horum igitur omnium stultam contentione graviter accusat & redarguit Apostolus cap. 1.
- II.
- Nimia Philosophiae admirationis.** Erant qui admiratione Philosophiae & sapientiae humanae praedicationem Evangelij ut stultam, vilem & abjectam cavillarentur: Horum quoque insolentiam retundit eodem capite 1. à versiculo 18. usque ad finem.
- III.
- Eloquentiae intempestivum studium.** Sublimitatem sermonis & persuasibilia sapientiae humanae verba in doctrina Evangelij quidam desiderabant, quorum stulta iudicia capite 2. confutantur.
- IIII.
- Novae opinionis.** Erant nonnulli curiosi, qui sprete communi docendi ratione, novas interpretaciones & opiniones à doctoribus Ecclesiae prolatas vehementer mirarentur, & his sapientiae cujusdam abstrusae laudem vendicarent, quos capite 3. Paulus pro dignitate tractat.
- V.
- Superbia.** Non deerant insolentes, & intolerabili fastu turgentes, qui Apostolorum vilem & abjectam speciem ex alto despicerent, quibus occurrit capitis quarti luculenta tractacione.
- VI.
- Incestus, avaritia.** Tolerabant Corinthij in coetu Ecclesiae suae manifesta scandala, incestum, scortationem, avaritiam, ebrietatem. Hanc & τραπεζισμῶν graviter reprehendit capite quinto & sub finem capitis sexti.
- VII.
- Lites forenses.** Multae contentiones forenses erant inter Ecclesiae Corinthiacae disci-

discipulos, quas coram Ethnico Magistratu agitabant. Hanc rixandi libidinem cum scandalo multiplici conjunctam taxat cap. 6

VIII.

Quæsierant Corinthij per literas iudicium Apostoli de quibusdam quæstionibus matrimonialibus, ut de subtractione conjugum, de divortio, de conjugio inter diversæ religionis homines, de virginitate, & cœlibatu. Has omnes pulcherrima tractatione capituli septimi complectitur.

8.  
*Quæstiones matrimoniales.*

IX.

Quidam Corinthiorum frequentabant convivia gentilium, instituta in honorem idolorum, cum multorum scandalo: atq; ita intempestivo usu libertatis Christianæ plurimorum infirmorum conscientias vulnerabant. Explicat igitur Apostolus verum libertatis Christianæ usum, & quomodo ab ea interdum sit recedendum, suo docet exemplo cap. 8. & Nono,

9.  
*Abusus libertatis Christianæ.*

X.

Christianorum etiam Sacramenta in contemptum apud Corinthios venerant, qui simul mensæ Dæmoniorum & mensæ Domini communione utebantur, & latam fenestram alijs ad profanitatem & Epicuræismum patefaciebant. Hos commemoratis exemplis pœnarum infligatorum Israëlitis similiter lascivientibus, intra metas pudoris & pietatis retrahere conatur Apostolus cap. 10.

10.  
*Contemptus Sacramentorum.*

XI.

In externis Ecclesiæ congressibus virorum & foeminarum in vestitu ingens erat licentia. Illis capita velantibus inter orandum, his frontem & capillitium in publico cœtu turpiter denudantibus. Hanc deformitatem corrigit capituli undecimi initio.

11.  
*Luxus in vestitu & deformitas.*

XII.

In Cœnæ Dominicæ tractatione plurima enormiaq; scandala in Ecclesia Corinthiaca conspiciebantur: Quidam enim esurientes latrante stomacho accedebant ad mensam Domini, corporale alimentum in ea quærentes: Contra alij saturati & ebrij, participantes de Pane Dominico, nulla mysterij illius tremendi & religiosi cura tangebantur: Ita utriq; indigna sumptione corporis & sanguinis Christi, iudicij divini reatum incurrebant. Hos tetros abusus Apostolus commemoratione institutionis Eucharisticæ, & periculorum ex indigna ejus usurpatione promanantium, capituli undecimi altera parte gravissimè redarguit.

12.  
*Profanitas in usu Eucharisticæ.*

Et hætenus quidem ea tractat Apostolus quæ toti corpori Ecclesiæ Corinthiæ deesse videbantur. Deinceps vero etiam docentium & Pastorum ordinem examinat illorumq; ἀταξίαν & errores accusat.

XIII.

13.  
Æmulatio  
doctorum.

Conqueritur igitur Pastores Ecclesiæ istius stulta æmulatione inflammari, qua quidam excellentibus instructi donis, præ se contemnebant cæteros, tanquam nullius precij homunciones: Hos retundens Paulus ostendit donorum in Ecclesia varietatem à Deo autore proficisci, & ad illius conservationem necessariam esse, ita tamen ut nisi charitate dona regantur nullius sint usus: Hoc thema cap. 12. & 13. tractatur, ubi insigne dilectionis Christianæ elogium inferitur.

XIIII.

14.  
Peregrinarum  
linguarum  
abusus.

Erant inter doctores, Ecclesiæ Corinthiæ qui præ ceteris noticia linguarum sese ostentabant, & inter Græcos Syriacè vel Hebraicè concionabantur & psallebant. Horum stulticiam redarguens Apostolus cap. 14. de vero linguarum usu piè graviterq; differit & nonnulla de ordine in publicis concionibus & psalmodijs servando annectit.

XV.

15.  
Error de  
resurrectione  
corporum.

Irreperant in cœtum Ecclesiæ Pseudodoctores impugnantes articulum resurrectionis nostræ (1. Cor. 15. vers. 12.) asserentes eam spiritualiter intelligendam esse, de illuminatione cœlestis gratiæ & spirituali conversione hominum ad agnitionem Salvatoris Iesu Christi. Hos integra tractatione capitis decimi quinti ita confutat, ut robustissimis argumentis & dulcissimis sententijs articulum fidei de resurrectione carnis simul tractet & illustret.

XVI.

16.  
Confusio  
in collectione  
elemosynarum.

Postremo quomodo in colligendis elemosynis rationem servare debeant, capite ultimo ostendit, & ad vigilantiam constantiam & charitatem eos hortatus Epistolam concludit.

XVII.

Ex hac enumeratione perspicuum est, quàm fuerit turbulentus Ecclesiæ istius varijs scandalis, contentionibus & pravis opinionibus miserrimè distractæ status, ad quem corrigendum totius scripturæ Apostolicæ scopus ubiq; collimat.

18. Facile



XVIII.

Facile etiam cuivis aestimare licet, quænam capita partim dogmatica, partim tropologica & pragmatica hoc scripto Apostolico tractentur, quorum videlicet usus ad veram pietatem & Ecclesiæ ædificationem stabiliendam est longè maximus.

XIX.

Atq; ut reliqua hoc tempore missa faciamus, quemnam in præcipuis controversijs Theologicis usum suppeditet hoc Apostolicum scriptum paucis considerare placet, idq; servata textus serie:

*Usus Epistolæ hujus in controversijs Theologicis.*

De finali perseverantia Pelagiani veteres virium humanarum admiratores & patroni docebant eam in hominis esse potestate: Paulus verò cap. 1. vers. 8. Soli Deo hanc εὐβλάβειν fidei nostræ transcribit, Pontificij ex ejusdem incertitudine dubitationis suæ ἐδελύγµα astruunt: Apostolus vero Christianos de perseverantia sua in fide nequaquam vult esse dubios cap. 1. vers. 8. & 9.

2.

XX.

Calvinianum est ex sapientiæ Philosophicæ & mundanæ principijs, de finito & infinito, de corporum quantitate, dimensionibus, motu & similibus articulorum fidei definire veritatem; Redarguitur hæc inepta ratio judicandi de mysterijs religionis cap. 1. vers. 20, quo Deus stultam fecisse sapientiam hujus mundi confirmatur.

3.

XXI.

Huberianum delirium est, Deo in æterno suo beneplacito decretum fuisse, omnes homines in Christo salvos facere, sine ulla fidei consideratione, sive credant, sive non: Contra Paulus cap. 1. vers. 21, inquit: Placuit Deo per stultam prædicationem salvos facere *Credentes*.

4.

XXII.

Ejusdem farinae est & illud, quo Electio Dei propriè sic dicta universalis esse, & totum genus humanum sine ullo discrimine credentium & incredulorum complecti dicitur: Sed Paulus monstrato discrimine sapientum hujus mundi, iridentium mysteria Evangelij & credentium infirmorumq; qui à mundo ut fatui aestimantur, illos quidem propter incredulitatem à Deo non electos, hos vero (in fide veritatis) electos esse testatur, cap. 1. vers. 26.

5.

*2. Thes. 1.*

XXIII.

Arij, Macedonij aliorumq; πνεύματομάχωι blasphemijs negatur Spiritus sancti æterna divinitas: Eandem luculenter astruit, Paulus cap. 2. vers. 10.

6.

*Pela-*

## XXIV.

7. Pelagianorum, Papistarum & Synergistarum ambitio multum aut modicum sapientiæ & viribus arbitrata est ascribendum esse humanis, in rebus spiritualibus: Sed textus noster cap. 2. vers. 14. Negat animale[m] hominem quicquam eorum intelligere quæ sunt Spiritus Dei.

## XXV.

8. Calviniani & ερεοματισταί scrutantur abyssum consiliorum divinorum, & eudunt quoddam absolutum decretum antegrediens omnes alias causas, ex quo tam hominum salutem quam condemnationem educunt: Apostolus verò negans iudicia Domini hominibus manifestata esse, ad sensum Christi & prædicatum verbum nos remittit cap. 2, vers. ult.

## XXVI.

9. Suencfeldianum & Enthusiasticum est, detrahere ministerio Evangelij omnem efficaciam: quæ tamen cap. 3. v. 5. luculenter asseritur, dum Corinthij credidisse per ministros verbi dicuntur.

## XXVII.

10. Papistarum ingenti sufflatu accenditur post hanc vitam ignis purgatorius, in cuius acerbissimos atq; infernales cruciatus, homines verè credentes & salutem æternam destinati ad tempus excarnificandi ablegantur: Sed Paulus ignarus hujus camini subterranei, ostendit igne tentationis opera quidem & dogmata docentium explorari, ipsos vero doctores fundamentum retinentes salvari cap. 3. vers. 15.

## XXVIII.

11. Epicureorum & εμπαύκτων mos est, ministros Evangelij, tanquam triobulares servos superbe aspernari, eosdemq; tanquam ex Dei instituto fame & contemptu premere: Paulus contra demonstrat eos tanquam ministeriorum Dei dispensatores, quovis honorum dignissimos esse, cap. 4. per totum.

## XXIX.

12. Ius excommunicandi manifestis scandalis pollutos, tanquam tyrannidem Pontificiam Libertini tollunt ex Ecclesia, in qua omnibus omnia licere arbitrantur: Contrarium voce & exemplo ostenditur capite quinto, quo incestu pollutus excluditur Ecclesie societate.

## XXX.

13. Anabaptistarum sententia est, iudicia tollenda esse ex Ecclesia

co

eo quod pietati Christianæ malè conveniat cum officio **Magistra-**  
**tus**; Quorum insaniam cap. 6. confutat Apostolus.

**XXXI.**

De virginitatis necessitate, voto, merito & prærogativa præ  
reliquis vitæ conditionibus in iudicio Dei, de desertione, divortio,  
repudio, de conjugio inter personas diversæ religionis, infinitæ  
propemodum quæstiones nostro seculo controversæ sunt inter Ec-  
clesias nostras & Papisticas, quas universas luculenta tractatio ca-  
pitis septimi hujus Epistolæ expeditas dare potest.

**XXXII.**

De ἀδιαφόρῳ usu & abusu multa à Pontificijs nec pauciora à  
Calvinistis impiè disputantur, & protervè fiunt, quæ ex disputa-  
tione Paulina octavo nono & decimo capitibus inclusa eruditè &  
rectè dijudicari possunt.

**XXXIII.**

Veram substantiæ corporis & sanguinis Christi præsentiam  
& κοινῶν Sacramentalem quæ ore fit, pertinaciter inficiantur  
hæretici dypnosophistæ Berengarij discipuli: Hanc irrefragabili  
testimonio asserit Apostolus I. Cor. 10. vers. 16.

**XXXIV.**

Indignorum manducationem, qua corpus Christi orali per-  
ceptione, facta sine fide, sceleratè polluant, eadem Sacramentario-  
rum cohors negat ac pernegat, quam Paulus cap. II. ita asserit, ut  
sententia ejus nemini possit esse obscura.

**XXXV.**

Sacra officia lectionum, orationum, Psalmodarum, latino ser-  
mone in Germanicis, Polonicis, Vandalicis aliarumq; gentium &  
linguarum Ecclesijs tantum peragenda esse decernunt Tridentini  
Arcopagitæ: Contra hypocritici dypnosophistæ omnem peregrinæ  
linguæ usum tanquam Papisticam abominationem aversan-  
tur. Utrosq; à regia via declinantes confutat tractatio capitis 12.  
& 14.

**XXXVI.**

De qualitatibus & attributis corporum glorificatorum & de  
statu alterius seculi multa ineptè garrunt Calviniani, quæ cum  
textu Apostolico capitis decimi quinti nequaquam conveniunt.

**XXXVII.**

Ita nimirum hæc Epistola quem olim in Ecclesia Corinthiaca  
usum habuit, eundem omnibus seculis & præsertim hoc nostro

B

ἔπιστολῃ

igitur abunde præstare potis est, ut pro libello reformatorio merito habeatur. De reliquis utilitatibus didacticis, consolatorijs & exhortatorijs verba facere non est instituti nostri. Et earum exempla cuiusvis ex textus lectione obvia sunt.

*Deinceps igitur de Ecclesie reformatione in genere quedam annotare visum est.*

## DE ECCLESIAE REFORMATIONE.

### I.

Quatuor capita in hac practica questione breviter discutere placet. 1. An reformatio Ecclesie sit necessaria. 2. Circa quid ea occupetur. 3. A quo sit instituenda. 4. Quibus medijs.

### II.

Multi culpant reformationes, sine iudicio. Non sunt nulli in hac sententia, debere Ecclesiam in hac vita perpetua & constanti tranquillitate gaudere, & ab omni doctrinae & disciplinae consecutione planè immunem esse: Qualis olim fuit hæresis Novatianorum & Catharorum, quos confutat Augustinus in quæst. Veter. & Nov. Test. quæstione 102. Nec dissimile fuit Anabaptistarum delirium, cuius meminit Sleidanus lib. 5.

### III.

Sane omnibus hoc unicum in optatis est, talem Ecclesie statum videre, in quo soli vera fide in Christum præditi eandem constanter confiteantur, & omnibus vitæ actionibus pietatis & charitatis Christianæ leges adimpleant: Sed in hac vita frustra talem quæri perpetua temporum & historiarum series ostendit.

### III.

Causæ scandalo- rum & certaminum in Ecclesia. Tanta est enim Satanae invidia & malitia ut lucem doctrinae semel accensam recto tramite mortales ad cœlestem aulam deducentem ferre non possit; Tanta porro est astutia, ut eam mille modis corrumpere & per ambitiosa ingenia sceleratè pervertere illi facillimum factu sit: Hoc Christi parabola Matth. 13. liquidò ostendit, proponens spectandum adversarium Zizania ferentem in agro jam ante consito.

### V.

Et quoties Ecclesia confertur vineæ, Esa. 5. Matth. 20. Iohan.

Iohan. 15. toties idipsum innuitur, siquidem in Vinea non tantum sunt uvæ, sed etiam labruscæ, spinæ, tribuli, & id genus inutiles herbæ, quæ diligenter evellendæ sunt. Quod si nulla domus tam est exigua aut benè disposita, in qua non læpissimè multa sint corrigenda, insanum est velle in magna domo Domini talem require-  
re puritatem omni labe penitus carentem,

V I.

Aut igitur postquam doctrina cœlestis traditionibus huma-  
nis, spinosis argutijs, aut manifestis corruptelis depravata est, nihil  
est in Ecclesia tentandum, quo pristinæ sinceritati lux doctrinæ  
restituatur, quod ad manifestam animarum perniciem spectat: Aut  
reformatio in Ecclesia necessaria est.

V II.

Quare bis stultè & impiè faciunt qui *ΕΙΛΘΟΥΧΙΑΣ* persuasione  
fascinati, Theologis Orthodoxis irascuntur, voce ac scripto hære-  
ticos confutantibus. Ecclesiam enim in terris militantem quie-  
tam fingunt, proditoribus non dissimiles, qui in ipso belli fervore,  
pacem præferunt: Et strenuè pro veritate pugnantibus perfidè  
insultant.

V III.

Nulla est Ecclesiæ solida pax expectanda, quàm diu Satanas  
in mundo rerum potitur, & peccatum originis omnia in genere  
humano occupat, ex quo ambitio, avaritia idolatria, contentiones  
hæreses & schismata pullulant: Et natura hominum novitatis a-  
vida temerè falsis doctoribus applaudit: Hæc dum vigent, frustra  
speratur pax & constans puritas doctrinæ,

V IX.

Et quanquàm hæreses & corruptelæ à pravis hominum cu-  
piditatibus Diabolo impellente excitantur: Tamen non sine di-  
vinæ providentiæ talia permittentis cœlesti gubernatione illa fi-  
unt: Oportet inquit Paulus hæreses esse inter vos, ut qui probati  
sunt, manifesti fiant, 1. Cor. 11.

X.

Schismate enim excitato, ambitiosa & novarum rerum cu-  
pida ingenia patefunt, quæ se illorū autoribus adiungunt: Hæresi  
exorta confestim aliqui sunt, qui eidè applaudant, partim malitia,

partim imprudentia: Vicissim alij his furoribus Satanæ se oppo-  
nunt precibus, consilijs, docendo, scribendo: Ita & illorum impie-  
tas ac hypocrisis; & horum fidelitas constantiaq, in lucem protra-  
huntur, Et hoc est quod dicit Apostolus probatos manifestari.

XI.

Doctrina  
certami-  
nibus illu-  
stratur.

Quin etiam doctrina ipsa certaminibus istiusmodi non tam  
deformatur ( uti foris apparet ) quam illustratur, & ex scripturæ  
abditis, articulorum fidei Christianæ fundamenta eruuntur: Qua  
ratione Arii hæresis Deitatem τὸ λόγος non evertit, sed illustravit;  
Pelagij opinio Vires humanas non astruxit sed destruxit; Papista-  
rum furor justiciam fidei non convulsit, sed roboravit; Carolstadij  
& Zvvinglij somnium præsentiam corporis Christi in cœna rea-  
lem in terris non sustulit ( quod unice habuit in votis ) sed confir-  
mavit.

XII.

Qui nam hoc inquis? Quia nimirum ἀφορμὴν præbuerunt  
hæretici, inquirendi diligentius in fundamenta sanæ doctrinæ &  
Veterum excusserunt sinceris Ecclesiæ doctoribus, quò articulos  
controversos diligentius ponderarent & illustrarent: Quod vel  
unico præsentis Epistolæ Paulinæ exemplo patet.

XIII.

II.  
Questio de  
objectis  
reforma-  
tionis.

Expedita quæstione prima, facilis est secundæ tractatio: Ver-  
satur enim reformatio circa ea omnia, quæ in Ecclesiæ societate à  
recto tramite exorbitare solent: Ea autem sunt trium generum,  
doctrina, disciplina sive gubernatio Vitæ morumq;, & εὐταξία  
Ecclesiastica, sita in ritibus & congressibus publicis, in ordine, &  
modo docendi & similibus rebus.

XIV.

Corrupte-  
le doctri-  
na.

Doctrinæ cœlestis corruptelæ non sunt uniusmodi, Aut enim  
planè novæ opiniones pugnantibus cum fundamento & articulo-  
rum aliquem fidei radicibus evertentes sparguntur in Ecclesia,  
quale dogma Corinthijs fuit obtrusum negans mortuorum resur-  
rectionem, de quo Paulus inquit, Vanam fore fidem omnium Chri-  
stianorum, Vanum quoq; testimonium Apostolorum de Christi  
resurrectione, si mortui non resurgant. Talia dogmata pertinaci-  
ter defensa tandem abeunt in hæresin & certam animabus perni-  
ciam attrahunt.

Aut

XV.

Aut fundamentum quidem doctrinae relinquitur integrum & inconvulsam, cui tamen pravæ opiniones ceu stipulae & ligna à doctoribus superaedificantur, de quibus 1. Cor. 3. loquitur Apostolus.

XVI.

In gubernatione morum & censura Ecclesiastica peccatur, *Morum* quando in Ecclesiae cœtum paulatim irrepunt impune manifesta *peccata*, scandala hoc est publica & enormia facinora, perjuria, adulteria, incestus, scortatio, ebrietas, usurae legibus damnatae, homicidia & similia; Talis fuit incestuosus 1. Cor. 5.

XVII.

In *ἑραξία* Ecclesiae variis modis peccari tum à docentibus, tum ab auditoribus potest; Illi enim vel in docendi ordine confusionem, vel in modo subtilitatem, studium nimium eloquentiae, usum peregrinae linguae usurpantes, *ἑραξίαν* Ecclesiasticam violant; Hi vero in vestitu deformi, inordinata accessione ad mensam Dominicam aliave ratione *ἑραξίαν* congressuum sacrorum deformant.

XVIII.

Hæc omnia reformationis opus ambitu suo complectitur, & doctrinam coelestem puritati pristinae restituit, Violatas morum leges gravi delinquentium animadversione asserit, & abolitis enormioribus erratis decus & ordinem cœtui Ecclesiastico reducit.

XIX.

Tertia quæstio autorem huius operis concernit, eaq; vel eam ob causam consideratione digna est, quia quilibet nostro seculo in Ecclesia reformationis ius & potestatem sibi sumit.

III.  
Quæstio A  
quo re-

XX.

Olim solus Pontifex Romanus sibi & rase turbæ suæ hoc *formatio* jus, omnibus aliis ordinibus hominum penitus & ex asse *instituen-* tum, venditabat. Patrum memoria rusticorum seditiosa factio *re-* da. purgandæ Ecclesiae potestatem usurpavit: Nunc videre est in aulis *Varia* scribas, nobiles, & iureconsultos, in oppidis consules, Senatores *sententiæ*, Syndicos, hoc jus longè augustissimum suum facere & Ecclesias Dei insigni audacia & temeritate pessimè deformare.

XXI.

Principio certum est, ei soli propriè competere jus Refor- *In aliena* mandî Ecclesiam, cuius ea est propria, Vt enim bonus Paterfam- *domo sur-* lias

*domus & mutuum esse decet.* Illas non fert domi suæ vicini aut alieni, multo minus servi imperium. Ita in magna domo Dei, quæ est Ecclesiâ nemini jus reformationis competit nisi ejusdem Dominiq.  
*1. Tim. 3.* XXII.

Exequitur autem id alias immediate, alias per media: Illius exempla sunt in historia Evangelica, quando videlicet Christus duabus vicibus templi Ierosolymitani reformationem instituit everfis nummulariorum mensis & emtoribus ac venditoribus ejectis. Ioh. 2. Luc. 19. Matth. 21.

*Mediata reformatio.*

XXIII.  
Mediatam autem reformationem Ecclesiæ Dominus exercet vel per personas extraordinaria vocatione excitatas, vel per eas quæ ordinario officio funguntur.

XXIV.  
Extra ordinem ad hoc amplum & sublime munus excitati leguntur divinitus partim prophetica autoritate insignes viri, partim Regia dignitate excellentes.

*Differunt doctores & reformatores.*

XXV.  
Ac Prophetarum quidem aliqui tantum fuerunt doctrinæ reformatores, taxantes nimirum omnis generis idolatricos cultus denunciatis pænis divinitus immittendis, & monstrantes Veram rationem colendi Iehovam: Tales in genere omnes fuerunt Prophetæ divinitus excitati in populo Dei, quorum tamen plurimi ab ingrato & inobediente isto populo vel auditi non sunt, vel variis modis afflicti, vel etiam omnino trucidati, teste Christo Luc 13. Exemplo sint Esaias, Ieremias, Urias Propheta interfectus à Ioachim Ierem. 26. v. 20. Amos & multi alii, quorum laboribus etsi non defuit fructus aliquis, tamen non id est effectum quod ipsi volebāt, ut videlicet publica & solennis reformatio & abrogatio idolatrici cultus in populo Dei institueretur.

*III. A. oislan. - or oap. oitaw. - noutif.*

*aitnsmol*

*Reformatores su heroes.*

XXVI.  
Ita multi sub ipsis tenebris Pontificiis ante Lutherum agnoverunt & taxarunt aliquos errores Papatus, sed interim à Romana belua absorpti ad Ecclesiæ reformationē momenti nihil attulerunt.

XXVII.  
Interdum vero Dominus misertus Ecclesiæ suæ largitus est viros heroico spiritu præditos, eosq; armavit autoritate, consilio et successibus, ut illorum ministerio non modo *didan* veritas illustraretur,



ustraretur, sed etiam *πῶς* falsi doctores cultus & sacrificia  
abolerentur. XXVIII.

Inter hos vel maximè illustris fuit Abraham Propheta Do-  
mini Gen. 21. Iacob instituens domesticæ Ecclesiæ reformationem  
Moses, Samuel, Elias, Iohannes Baptista & Apostoli omnes; Atha-  
nadius, Ambrosius, & nostro seculo Lutherus regno Antichristi Ro-  
mani oppositus & spiritu intelligentiæ animo, consiliis & successi-  
bus præclare armatus.

XXIX.

Quibus etiam illi, inferiori tamen gradu sunt annumerandi,  
qui Ecclesiam à fanaticorum delirijs, Calvinianis nimirum, Anaba-  
ptisticis, Flacianis & Synergisticis fideliter repurgarunt vel qui col-  
lapsam in Ecclesia disciplinam, aut *ἑταίρα* confusione laboran-  
tem pro virili restituerunt. XXX.

Sæpe etiam usus est Dominus opera Magistratus in resor-  
mandis Ecclesijs, ut Davidis, Ezechiae, Iehu, Iosue, Constantini  
Magni, & multorum Regum ac principum nostri seculi Augusta-  
nam confessionem amplectentium exempla docent.

*Reges Re-  
formato-  
res.*

XXXI.

Ex qua commemoratione facile cuivis est intelligere, quam  
insignis audaciæ & temeritatis opus sit, si quis privata auctoritate  
sine vocatione Reformationem Ecclesiarum suscipiat: & tragici  
eventus ostendunt ejusmodi impia & polypragmonica consilia  
sperato successu carere.

*In Eccle-  
sia quili-  
bet vult  
dominari.*

XXXII.

Interdum vero Dominus permittit Satanae organa sub specie  
& pallio factos sancti nominis sui agere, sicuti olim in constituendo  
regno Antichristi Romani, & nunc in deformandis Ecclesijs & pro-  
fliganda veritate doctrinae celestis per Sacramentarios & Calvini-  
stas multa hujus generis Diabolus agit. Transformat enim se in  
angelum lucis, & ipsius Apostoli Iesuitæ & Calviniani doctores  
transformant se in Apostolos Christi, ut multorum mentes avertat  
à verbo veritatis. 2. Cor. 10.

*Deforma-  
tiones Di-  
abolicæ.*

XXXIII.

Medium quo Reformatores usi sunt aliud fuit extraordinari-  
um & singulare, aliud vero ordinatum: Illud videre est in Elia cõ-  
vincente Baalitas per miraculum accensi coelitus holocausti, et eos-  
dem deinceps jugulantis, Et in Christo, qui flagello adhibito tem-  
plum purgavit. Sed hæc singularia exempla absq; singulari voca-  
tione & mandato non sunt admittenda, Ordina.

*IV.  
Quæstio  
de medio.*

XXXIV.

Nisi se-  
quatur o-  
bedientia,  
nulla est  
reforma-  
tio.

Ordinarium reformationis medium & norma semper fuit vox divina ejusq; pura prædicatio, concionibus scriptis & disputationibus illustrata & Ecclesiæ proposita, per quam Deus efficax fuit in auditoribus, & flexit corda ad promptam obedientiam amplectentem puritatem doctrinæ, & abolitis falsis sacrificijs restituentem veros cultos Deo placentes, ut præsens Epistola Paulina satis evincit.

XXXV.

Magistratus vero pius pro officij sui ratione ordinario huic medio reformatorio, auxiliares manus porrigit, dum ejectis hypocritis hæreticis & Pseudodoctoribus, & destructis peregrinorum Deorum, aris, lucis, templis, statuis scandala è medio tollit, & ansam labendi populo adimit: Quæ externa vis, non sæviens in hominum conscientias, corpora aut bona nequaquam est culpanda.

XXXVI.

Finis reformationis est restitutio in integrum earum rerum, quæ in Ecclesia erant corrupta vel debilitata, doctrinæ nimirum, vel disciplinæ, vel εὐταξίας. Et hunc finem divina intendit clementia, etiamsi humana imbecillitas eorum, quorum opera Dominus utitur interdum etiam alios fines sibi propositos habet.

*Soli Deo gloria.*



AB 22 841 (1)

ULB Halle 3  
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







18 19

DISPUTATIO PRIMA,  
**EX EPISTOLA**  
PAULI AD CORINTHIOS  
priori, generalem ejus  $\delta\iota\kappa\omicron\nu\omicron\mu\iota\alpha\mu$   
complectens;

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia*

**PRÆSIDE DAVIDE RVN-  
GIO, SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE ET**  
*in Academia VVitebergensi Professore, in  
Collegio disputationum Theologicarum  
privato defendet 29. Octobr.*

**M. CHRISTOPHORUS ZECCHERUS**  
Norimbergensis.

*Sum ex Bibliotheca M. Johannis For-  
tissimi, qui me sibi compendit 9. Jul.  
Anno 1600 Wittenbergae. T. Junij.*



**VVITEBERGAE,**  
*Typis M. Georgij Mulleri,*  
**Anno clō 16 XCVII.**

